



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LXII. Adhortatio ad patientiam injuriarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

ornarentur, nec floridas vestes gestarent, nec purpureos haberent contextus, nisi fortè publica esset meretrix. Hinc *Dionysius Syracusanus Junior*, cum singulos maleficos gravissimis afficeret supplicio, histamen facile ignoscebat, qui vestium & ornamentorum fures essent, quò facilius Syracusani à luxu abstinerent. *Oppia* lege apud Romanos interdicitum erat, ne mulieres verticulis induerentur vestimentis.

Consule The-  
atru Vindi-  
ca Divina.

IV. ab exemplis eorum, qui ob luxum divinitus puniti sunt, & pœnis, quas S. Scriptura huic vitio minatur, *Isa. 3. v. 24. & Jac. 5. v. 1.*

PERORATIO excitabit Auditores ut se Christianos meminerint, vestitu honesto, seu quo corpus obtegant, & contra injurias cœli muniant, sint contenti, & animæ potius salutem, quam corporis succum seu vestium nitorem curent.

**LXII. DETESTATIO VINDICATIONIS INJURIAE, seu potius, Adhortatio ad Patientiam Injuriarum.**

Matth. 5. v.  
12. 22.

IN EXORDIO explicabis, quam seridè, accuratè, & sæpè Christus doctrinam de non vindicanda injuria nobis inculcet. PRIMÒ, enim Beatos pronunciat eos, qui iniquè contumeliis oppetuntur, gaudereque & exultare jubet, ob copiosam mercedem illis paratam in cœlis. SECUNDÒ Comminatione judicii & gehennæ deterret ab illatione injuriæ, ira, & verbis probrosis. TERTIÒ, Injuriam facienti negat aditum ad Altare suum, Sacramentorumque beneficium, nisi prius reconciliatus fuerit fratri. QUARTÒ, Non vult à se gratiam vel remissionem peccatorum postulari in Oratione Dominica, nisi prius fratri remissa sit injuria, idque ex corde. QUINTÒ, vult, ut una injuria accepta, parati simus ad majorem: v. c. cæsa una maxilla ad obvertendam aliam: tunica vi erepta, ad offerendam

Matth. 18. v.  
35.

offerendum & pallium, quando ita gloria Dei  
charitalve postulat. **Sexto**, Ut auctorem injuriæ,  
licet inimicum diligamus: idque non verbis, sed  
factis, orando pro illo, & benefaciendo, non secus  
ac Deus nos diligit, pluendo super justos & inju-  
stos. **Septimo**, Id faciamus nec nostri cōmodi, nec  
gloriæ humanæ more Ethnicorū, captandæ causæ;  
sed propter Dei gloriam & animæ salutem, *alio-*  
*quin, inquit, mercedem non habebitis apud Patrem ve-* *Matth. 6. v. 1.*  
*strum, qui in cœlis est.* **Octavo**, Indicat hoc ad per-  
fectionem suæ doctrinæ & Christianæ Religionis  
in primis pertinere: nam concludit: *Estote ergo*  
*vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus* *Matth. 5.*  
*est.* *v. 48.*

**PROPOSITIO:** Te etiam Auditores ad hoc  
Christi præceptum, de non vindicando, observan-  
dum incitaturum.

**CONFIRMAT. I.** Locus à necessitate hujus præ-  
cepti. Monet enim sacra Scriptura Deo relinquen-  
dam omnium injuriarum ultionem. *Deut. 32. v. 31.*  
*ad Rom. 12. v. 19. Luc. 18. v. 7. & prohibet omnem in-*  
*juriam vindicationem. Lev. 19. v. 18. Prov. 20. v. 22. ad*  
*Rom. 12. v. 17. 1. ad Theff. 5. v. 15.*

**II.** ab utilitatibus hujus præcepti. Nam **PRIMO**  
patientia mitigat iram injuriam inferentis. *Prov. 15*  
*Responsio mollis frangit iram.* Et cap. 25. v. 15. *Lin-*  
*gua mollis confringit duritiam:* Sicut enim ignis  
materia subtracta extinguitur: ita maledicentis  
ira alterius patientia compescitur. Vnde B. Paulus:  
*Vince, inquit, in bono malum. Hoc enim faciens, car-* *Ro. 12. v. 21.*  
*itates ignis congeres super caput ejus, hoc est, charita-*  
*tis ignem in eo excitabis, & ex inimico amicum*  
*facies.* Exemplum habemus *Ioannis Eleemosynarii, Sm. Tom. 1.*  
Patriarchæ Alexandrini; cui cum consanguineus  
juvenis questus esset de gravibus injuriis à caupo-  
ne sibi illatis, fingens se commoveri, respondit, se  
facturum rem, quam tota Alexandria miretur;  
moxq;

moxq; vocato ad se vectigalium magistro, ei iuberet, ut nihil amplius vectigalis à caupone exigere, quod factum non solum tota Alexandria suspexit, sed etiam caupo deinceps Antistitem cum suo cognato omni officio coluit.

*Aug. 7. de Civ. Dei. c. 6. Vir. 6. En. Parcere sub iugis.*

SECUNDÒ, Hac modestia tollitur occasio maiorisurbationis & bellorum. Hinc legimus Romanorum Remp. ignoscendo potius, quam persequendo hostium injurias crevisse: qui enim ignoscit injuriis, auctor est concordia qua civitates constituentur, & conservantur: qui verò eas persequitur, est causa discordia.

TERTIÒ, Nihil æquè ædificat proximum, atq; injuriarum tolerantia.

*1. de Off. c. 6. Elian. l. 12.*

QUARTÒ, Per hanc tolerantiam amolitur à nobis notam impotentis, imò muliebris animi: muliebre enim est, convitium convitio mox repellere. *Qui cito movetur injuria, ait B. Ambr. facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Aristoteles Alexandro magno, natura iracundo, consilium dedit, ut omnibus se superiorem æstimans, maledicta contemneret. Sed hoc erat uno vitio aliud curare, & iracundia superbiã substituere: Christianus verò maledicta contemnere debet; non quasi convitiatore melior, sed quasi maledicto fortior. Convitia enim per se nullam vim habent, sed quemadmodum tela, si in corpus durum incidant, repercussa cadunt, non penetrant. Talis erat apud B. Gre. Abbas Stephanus, cujus cum ager ad messem paratus ab improbo vicino succensus esset, & alius, ut hoc nunciaret, ad eum accurrens diceret: *Va va Pater Stephane, quid tibi contigit, totus enim tuus ager incendio absumptus est, è vestigio respondit. Imo va va frater, quid illi contigit, qui hoc fecit? me enim certè parvo, seipsum maximo damno mulctavit.* Talis B. Cyprianus, qui lecta jussu Proconsulis tabella, in qua hæc sententia

tia

ria erat: Cyprianum gladio mactari placet, respondit: Deo gratias, & mox speculatori 25, aureos numerari iussit. Talis B. P. Ignatius, Societatis Jesu parens, de quo sic scribit Ribadeneira. Roma anno 1549. Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus, invidia exstimulante graviter in Ignatium exarsit, qui etiam iactare cepit omnes nostrae Societatis homines, qui in Hispania essent igni se traditurum, idque Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eundem scripto ita respondit: Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt cremandos te curaturum dicit: ego vero id dico, & opto ut & tu charitate flagres, & amici tui ac necessarii non solum qui in Hispania, sed qui in universo orbe terrarum sunt, Spiritus sancti igne inflamentur, & ardeant.

QUINTO, Calumniae & maledicta saepe cedunt in profectum spirituales ejus, in quem conjiciuntur, ut cum exprobratur aliquod vitium emendatione dignum. Sic, teste B. August. B. Monica *Lib. 9. Confess. c. 8.* ejus mater, cum a suis coetaneis adhuc parvula meribibula vocaretur, hoc convitio excitata, illud vitium tota postea aetate correxit. Eadem de causa Philip. Rex Macedonum laetabatur sibi infestos esse Athenienses, eo quod ex eorum criminationibus in suorum vitiorum notitiam veniret, & ut illos mendaces redderet, ea corrigebat. *Plut. lib. de utilitate capienda ab inimicu.*

SIXTO, Ex doctrina habemus occasionem nos propius Christo Domino conformandi. Nam ipse ait: Si pater familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. Et S. Joannes. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. *Matth. 10. v. 24. 1. Ion. 2. v. 6.*

III. ab incommodis ira, & cupiditatis vindictae. Nam qui irae obtemperat: PRIMO, Aeterna privatur patria, & corona gloriae. SECUNDO, Minister fit & instrumentum diaboli. TERTIO, Occidit animam suam, similis illi, qui ut agnum occidat, se ipsum

seipsum perimit: & illi, qui ob immensa debita, quæ dissolvere non potest, coniectus in carcerem, oblatam ab alio solutionem magno fastu recusat, nam per eum, qui nobis injuriam facit, debitum, quo Deo obstringebamur, tollitur, modò patienter injuriam feramus. **QUARTO**, vindictam petens, ostendit Deo, quomodo cupiat ab ipso secum agi.

**IV.** *Ab exemplo incredibilis patientia DEI, quòd Christus ipse omnibus imitandum proponit: Orate, inquit, pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

**V.** *ab exemplo patientia CHRISTI DOMINI quòd imitandum proponit B. Petrus: Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, &c.*

**VI.** *ab Exemplis SANCTORUM, Joseph venundatus, ait Cyprianus à fratribus, & relegatus, non tantum patienter ignoscit, sed & gratuita frumenta venientibus largitur & clementer impartit. Moyses ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & penè lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eisdem Deum deprecatur, &c. S. Stephanus Protomartyr pro inimicis oravit. S. Apostolus Paulus in passionibus suis gaudebat, & in tribulationibus gloriabatur. Cassianus refert (Col. 2. cap. 13.) senem quendam, cum apud Alexandriam à turbis infidelium maledictis & gravissimis urgeretur injuriis, eique à subsannatoribus diceretur, quid miraculi Christus fecisset? respondisse, ut his ac majoribus, si intuleritis, non movear, nec offendas injuriis.*

*Vide Thea-*

**VII.** *ab exemplis eorum, qui graviter à Deo puniti*

nitifunt in hoc seculo, propterea quod offensam  
obtinatè condonare noluerunt.

VIII. ab Exemplis ETHNICORUM. Homo qui-  
dam, ait Basilus (Hom. de legendis libris gentili-  
um) in foro Periclem probris omnibus incessebat, is au-  
tem minimè curare visus, toto ferè die sustinuit. Dein-  
de vesperi jam discedentem cum lumine comitatus  
est. M. Catonem, ait Seneca, in balneo quidam percus-  
sit imprudens. Quis enim illi faceret injuriam? Postea  
satisfacienti Cato, non memini, inquit, percussum me,  
melius putavit non agnoscere, quàm ignoscere. Du-  
cebatur Athenis, inquit idem Seneca, ad supplicium  
Aristides, cui quisquis occurrebat dejiciebat oculos, &  
ingemiscebat, non tanquam in hominem justum, sed  
tanquam in ipsam justitiam animadverteretur: in-  
ventus est tamen qui faciem ejus inspueret. Poterat  
ob hoc moleste ferre, quod sciebat neminem id ausurum  
purioris. At ille absterfa facie, & subridens, ait comi-  
ranti se Magistratui: Admone istum ne postea tam im-  
probè oscitet.

In EPILOGO institues Apostrophen ad vindicta  
cupidum, prescribens ipsi remedia contra injuria vindi-  
cationem seu vindicta cupiditatem. Tu igitur quis-  
quis es, cui quisquam intulit injuriam.

I. Cogita, nihil esse tam imbecillis projectique  
animi, quàm vindicta lætari, & quanto sit fortius,  
& generosius, alienam stultitiam contemnere,  
quam imitari. Quò turpior igitur est qui nocuit,  
hoc magis cave, ne fias illi similis. Magna certè est  
vesania, ut alienam improbitatem ulciscaris, te fie-  
ri improbiorem. Si contempseris contumeliam,  
intelligent omnes indigno factam; sin commo-  
veare jam inferentis causam feceris meliorem,  
Aug. ait: Quanto honestius est, ut homo nos vincat ali-  
um, quam vitium proprium? &c.

II. Reputa, acceptum incommodum vindicta  
non tolli, sed propagari, & in te recipiari, non

Pars I.

P

fine

trū Vindicta  
Divina.  
Lib. 2. de Ira  
In Consolat.  
ad Helvi.

Abigail igā  
tum David  
dulcib. ver-  
bis placavit,  
Sagitta in  
duriob. re-  
sultat Basilo

sine malo factore, quis enim erit finis mutuarum injuriarum, si suum quisque dolorem perrexerit vindicta retaliare? crescunt utrinque inimici, increscit dolor, qui quod est inveteratior, hoc est insanabilior. At lenitate tolerantiaque sanatur nonnunquam etiam is qui fecit injuriam, & ad se reversus ex inimico fit certissimus amicus.

*Solū peccatū  
lædit homi-  
nem.*

*Chrysostr. I  
Qui in iram  
prorumpit,  
graviter est  
læsus sed per  
impatentiā  
suam.*

*Diog. Ipsi  
me irrident  
at ego non  
irrideor.*

III. Considera hominem homini non posse nocere si velit nisi in his, quæ ad ipsum hominem magnopere non pertinent. Nam vera animi bona solus Deus potest eripere, quod non facit, nisi ingratis; solus potest largiri, quod non facit, immitibus & ferocibus. Nulli nocet injuria, nisi suo auctori: nemo læditur, nisi à semetipso.

IV. Tuum incommodum extenua, & alienam injuriam eleva, his fermè modis: læsit, sed facile fecit, resarciatur, puer est, rerum imperitus, alieno instinctu probe potus; pater est, præceptor, amicus, par est hoc illius vel charitati, vel autoritati condonare: læsit quidem, sed alias quàm sæpe profuit; illiberalis est animi benefactorum oblivisci, injuriæ meminisse. Ignoscam illi, ut mihi meo exemplo ignoscat, & ipse delinquenti.

*Greg. 5.  
Mor. c. 32.  
Cogitata in  
firmitas pro  
pria mala in  
nobis excu-  
sat aliena.*

V. Cogita quæ, quanta, quoties tu peccaris in Deum, quàm multis nominibus illi sis obnoxius. Quantum tu remiseris debitori fratri, tantum tibi condonabit Deus. Nulla commodior est ratio, qua post offensam reconcilieris fratri. Condona levem culpam proximo, ut tibi tot millia culpæ condonet Christus, si durum videtur animum excandescens comprimere, succurrat tibi, quanto duriora pro te, nulla sua culpa, sed ad culpam delendam tuam, tulerit Christus. Quid eras, cum pro te impenderet animam pretiosam? nonne inimicus? qua lenitate quotidie te tolerat, veteres iterantem noxas? qua mansuetudine pertulit probra, vincula, verbera, probrosissimam mortem?



mortem? non eris membrum Christi, nisi sequaris vestigia Christi. In re ipso vis experiri misericordiam, & in fratrem vis exercere severam justitiam? magnum est si peccator ignoscas peccatori, cum Christus pro crucifixoribus suis oraverit Patrem? arduum est non referre fratrem, quem juberis & amare? durum est non remetiri maleficium, pro quo nisi beneficium retuleris, non hoc eris in conseruum, quod Christus fuit in servum? Si sanare furentem potes, sana; sin minus pereat ille solus potius, quam tecum: istum, qui se damnatum dedisse putat, commiseratione, non poena dignum puta. Et si vis cum laude irasci, irascere vitio, non homini.

**LXIII. VITUPERATIO VIOLATIONIS Voti, vel Apostasiae, & defectionis, vel à fide Catholica; vel à fide Deo data per Votum Castitatis, aut Religionis.**

**E**XORDIUM duces à magna Diaboli versutia, quia interdum eos, qui cunctam huius vitæ phantasiam fucataque felicitatem semel conculcaverunt, & ad verum virtutis fastigium evaserunt, iterum in pristinos mundi fluctus abducit.

**PROPOSITIO:** Te igitur turpitudinem, pericula & damna tanti sceleris Auditoribus propositurum.

**CONFIRMAT. I. Locus à turpi.** Votifragi enim vel Apostatae atrociori ac turpiori scelere se obstringunt, quam furti, sacrilegii, adulterii, & incestus. Nam qui Deo, ait B. Ephrem, animas suas consecrarunt, corporis sui potestatem amplius non habent. At illi se donum Domino obtulerunt, non igitur amplius corporis sui potestatem habent, ut nec qui aliud Deo obtulit, illud sine sacrilegio repetere potest. Hinc S. Ambr. Virgo quæ spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortalis juncta est viro. Et si voluerit

P 2 nubere

Heb. 12. Aspicientes in &c. 1. Pet. 2.

Syr. 28. Homo homini reservat iram & à Deo quaerit medellam?

Matt. 18. Si non remiseritis unicuique de cordibus vestris nec Pater vester remittet vobis.

Syr. 28. Separa te à contentio-nibus, & peccata evades.